

CAPUT III.

§. I. Sed nunquid ad exemplum Josiæ erunt etiam imagines in templis positæ tollendæ? sic volunt Calvinistæ, qui tum huc utuntur facto ad probationem suæ sententiæ, tum præcepto Exod. 20, 4. ex quo secundum faciunt Decalogi; & nobis novum decimumque in unum contrahunt: quibus autem illud unicum tantum opponimus, quod quanto melior essentialis divisione accidentali sit, tanto nostram melior Calviniana, reliqua in nostris vide: *Varen.* in Exod. *Calov.* T. XI. Syst. Theol. p. 7. *Affelmann.* Synt. p. 16. f. *Balduin.* vom Bildern. p. 256. seqq. *Meisner.* in adiphor. disp. 2. & aliis. Adversariorum sententiam continet tum *B. Forster.* in Thes. Catech. in quo *Marpurgenses* & *Anbaltinos* gravissime nos accusantes citat, tum ipse *Calvin.* *Rainoldus* in coll. adversus Jesuitam *Hartum* (h) conjunctionis pulverariæ reum; pag. 306. Laudant etiam summopere Ezechiæ zelum, quo incensus serpentem æneum dejecit & confregit. His addunt, quod Judæorum conversionem prohibeat imaginum usus: quorum mentem cum eleganter doceat *M. Anton. de Dominis*, (i) ipsius verba accipe. Hi (Judæi) acriter in nos insurgunt, quod qui profiteamur divinæ vet. etiam Scripturæ cognitionem & decalogi observantiam, imaginibus tamen innumeris contra præceptum pateamus. Et quidam Judæus Lusitanus in amica disputatione A. cl. cl. XII. habita, que jure, inquit, gloriantur Christiani, quasi decalogum in pretio habeant facientes simulachra. ap. *Hoornb. Ex. Bull. Innoc. VIII. de cultu Imag.* p. 71.

C 3

§. II.

(h) conf. de hoc colloquio *Casaub.* in ep. p. 741. & *Hoornbeck* Summ. Controv. p. 267.

(i) L. VII. de Rep. Eccles. c. XII.